Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25961
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cunctis pariter audiendam credendam amandamque praedicarent.
Exposita lectione dominicae transfigurationis ad nostram fratres karissimi con
scientiam revertamur. Et si domini gloriam videre delectat, transitis car
nalibus desideriis subeamus in montem virtutum. Si ad vestimenta domini
candidissima pertingere volumus, mundemus nos ab omni inquinamen
to carnis et spiritus perficientes sanctificationem in timore dei. Si vocem
dei patris audire, si consubstantialis ei filii maiestatem desidera
mus intueri, studeamus sollicite perversa et inutilia mortalium
verba declinare. Studeamus a supervacuis seculi fallentis oculos aver
tere spectaculis, quatenus resurrectionis nostrae gloria coruscante et
ipsi quidem quod modo nequimus magnalia nostri conditoris videre simul
et dicere mereamur, praestante ipso qui vivit et regnat cum deo patre in uni
s. s. d. p. o. s. s. amen.

Lectio sancti evangelii secundum Matheum. In illo tempore. Pro
gressus Iesus secessit in partes Tyri et Sydonis. Et ecce muli
er Chananea a finibus illis egressa clamavit dicens: Misere
re mei domine fili David. Filia mea male a demonio vexatur. Et reliqua.

LECTIO. **Omelia venerabilis Bedae presbiteri de eadem lectione.**

sancti evangelii quae nobis hodie lecta est fratres karissimi audivimus mag V. IIII.
nam mulieris fidem patientiam constantiam et humilita
tem, cuius eo magis est admiranda mentis devotio quo ipsa
quidem utpote gentilis a divinisque eloquiis funditus erat segre
gata doctrinis, nec tamen illis quas eadem eloquia praedicant sit pri
vata virtutibus. Habet namque magnam fidei perfectionem quae pietatem
salvatoris implorans ait: Miserere mei domine fili David. Cum enim eun
dem dominum filium David appellat, patet profecto quia verum hunc homi
nem verum credit et deum. Cum pro filia rogans nec illam secum adducit nec
dominum ad eam venire precatur, constat apertissime quod eum verbo salutem
posse dare confidit, cuius praesentiam corporis nullam requirit.
Sed et in hoc quod eum post multas lacrimas tandem prostrata adorat dicens: X.
Domine adiuva me, nequaquam se de eius divina maiestate ambiguam